

19
SPIRITUS SANCTVS
EFFUSUS

SOLEMNI PENTECOSTES FESTO
GYMNASII NOSTRI CIVIBUS
PRO EXEMPLO PIÆ MEDITATIONIS
PROPOSITUS

A
M. HENNINGO WITTE
P. P.

RIGÆ
LITERIS NÖLLERIANIS.



Estum nunc denuò celebrare debemus prorsus in signe, totq; factis divinitus prodigiis meritò illustrissimum. In illo siquidem ingens Sanctissimi ex alto splendor processit, & salutarem Evangelii lucem ab Hierosolyma, per universum terrarum orbem, longè lateqve diffudit. Posteaquam enim æternus Dei Filius arduum illud, ad quod missus, felicissimè peregerat opus, regix Majestatis suæ thronum occupavit, & mortalium se subduxit conspectui. Sed quò huncce Servatoris nostri discessum æqvò feramus animò, egregium cœlò Paracletum, Spiritum nempe Sanctum, demisit, ut tristes exhilararet, afflictos permulceret, & trepidantes animaret suavissimè. Quin imo Deus unus idemq; trinus non in beatorum modò sede, sed fidelium etiam cordibus, gratum sibi atqve perpetuum elegit habitaculum. Vehiculum autem, quò tantus descendebat hospes, ventus erat maximè singularis & admirandus. Alii namq; flatus ex imo terræ gremio ascendentes, per solares radios, ad superiora sensim deferuntur; hic verò neutiqam terrenæ exitit originis, at de polo prolapsus cœlestes ilicet in pectore

motus excitavit. Quis, quæso, nisi extremè impius, suam in rebus bene gerendis non agnoscit desidiam? Quis ab ea, si sapit, non magnopere cruciatur? Inde, si quid recti boni quæ peragendum, vacillant plerumque pedes, stupefcit caput, totusque homo hinc & undique languore torpescit. Quamobrem sacratissimi Pneumatis indiget favonio, qui cor moveat, manus impellat, pedemque in veram virtutum semitam deducat. Spectante aliquando Ezechiele, præcone Dei viventis atque vate ingenuo, ossa interfectorum arida à ventis agitata reviviscebant, sequæ carne induta movebant. Hic autem flatus Pentecostalis haud leviora producit mysteria. Aërem quippe peccatorum sordibus infectum plenissimè purgat, noxios affectuum vapores magnò dispellit strepitu, spissas cordis tenebras statim profligat, piisque celesti gratiâ mentes illuminat. Quid quod, aurâ hæc spirante, mutis loquela, cæcis visus, mortuis vita fuerit reddita. Adèò neminem sonus iste terruit, sed plurimorum animos ad insignem incitavit pietatem. Nondum penitus sacrum spirare Flamen desierat, & novum ecce! igniti Fluminis miraculum. Discipulorum linguæ in tibias magnalia Dei insonantes, comæ in ignes Spiritus fervore ardentes, pectus sacri Flatus gratiâ repletum in aquam, & tota deni-

denique domus in Altissimi permutabatur sacrarium. Hinc omnes & universi Apostoli diversis ceperunt loqui linguis, non quas ex hominum didicerant colloquiis, sed quas omniscius illis indiderat Spiritus. Nullum certè membrum in nobis malâ pestilentius linguâ est, nullum bonâ salubrius. Qui igitur calumniantur, qui obtrectant, qui conviciantur proximo, qui obscæna loquuntur, linguam non Seraphinô, sed tartareô inflammata[m] igne possident. Qui antea de terreno ampliando regno, de primo confessu, deq; vano principatu, fervidè nimis disputabant, nunc nihil horum quicquam proferunt: Spiritualia, cœlestia, ignea sunt omnia, quæ spirant, sperant & loquuntur. Celebratur apud A. Gellium Mithridates, Ponti & Bithyniæ Rex quondam inclutus, quod duarum & viginti gentium, quæ sub ejus imperio erant, linguas calluerit, nec ullo unquam interprete usus fuerit. Majori utiq; encomio dignos censemus viros Apostolicos, qui cum omnibus mundi populis, in idiomate unicuiq; proprio, sermones ubertim potuerunt conferre. Et hoc ipsum est, quod illorum linguæ videntur ignitæ. Inter prospera referunt Historici prodigia, quibusdam olim arsisse capita. Sic L. Martio, æqviti Romano, in militum corona concionanti,

flamma sine ipsius sensu è capite fusa, monumentum imminentis præbuit victoriæ. Ut de Servio Tullio, ut de Alexandro Macedone, ut de aliis similia non attingamus auguria. Verùm longè melioris ominis præludium ignis fuit in linguis & capitibus Apostolorum conspectus, certissimamq; eorum victoriam, quam in oppugnandis mundi idolis obtinere debebant, non obscure designavit. Hujus usus in hunc usque diem admodum est insignis. Ut enim aurum igni immissum purius surgit; ita & divini Spiritus ignis illud, quod in nobis carnale, absunit, quod sordidum, adurit, quod inquinatum, emundat. Elias, in certamine cum Baalitis, ignem de cælo deduxit: Christus, cæli montem conscendens, ignem verè divinum in suos effudit discipulos, eosdemq; omnium linguarum Doctores, idq; unò solùm momentò, non laborioso temporis tractu, constituit. Est insuper ignis hujus proprietas, ut frigus peccati fuget, & internum pectoris calorem saluberrimè revocet. Nostra quippe corda per naturam glacie sunt frigidiora, & ad bonum quodvis opus instituendum facillimè torpent: Simul ac verò calidò optimi Spiritus motu incenduntur, ardere incipiunt, pietate nimirum

in Deum, in proximum amore, in semet ipsos temperantiâ. Tandem & illuminat flamma Pentecostalis, lucernaq; audit pedum nostrorum, quâ tenebrofi illustrantur, ignorantes erudiuntur, errantes in viam reducuntur. O ignem maximè diffusum & notabilem! ô ignem quibusvis etiam hominibus, summis ac imis, Cræso & Iro, longè saluberrimum! At heu! cum horrore & dolore istius nunc ignis recordamur, qui ante decem abhinc & septem omnes, circa hoc ipsum propemodum tempus, præcipuam & primariam urbis patriæ partem atrocissimè invasit, perussit, fereq; delevit. Cùm funestissimum hunc ignem, cùm immania XXI. Maji & sequentis diei cogitamus fulmina, vox hæret faucibus, & mihi calamus revocant tam atrocia describere mala cupientis. Campanæ tum, ut & buccinæ, grande incendium lamentabili sonô nunciabant, & ad illud extinguendum cives undiqve & inquilinos convocabant. At flamma eheu! immanis & formidolosa mox magnopere crevit, ac tot undiq; ædes, bina pretiosæ structuræ templa, Gymnasium, & Scholam Cathedralem combussit. Nec latis miseriarum, nisi adversâ quoq; parte malorum veluti centrum, Æolus, simul sæviret. Tum supra
omnia

omnia infausta ventus, seu rectius turbo Aquiloni-
us, celerrimè subortus, dispersò favillarum imbre,
universæ palam civitati interitum minabatur. Ita
factum, ut non inter contiguas tantùm domos, sed
diffitas quoq; plateas transgressus, propinquiora un-
diq; ædificia ignis involaret. Cæterum tantus pa-
vor tremorq; quàm plurimos cepit nostratium, ut
diu hiscere non potuerint. Imo viros aliàs cordatos
atqve prudentes, repentinâ & miserabili hâc patriæ
clade percussos, anceps terror totos penè circumste-
tit. Muliercularum & imbecillis ætatis clamores,
ejulatus, diffugia ita quemlibet turbârunt, ut non
inops modò consilii, sed vix animi compos esset.
Nolo autem pluribus tam atrocis calamitatis me-
moriam, hâc lætâ Pentecostes luce, renovare, sed
Deum, Opitulatorem omnium, devotis potius im-
plorare decet precibus, ut nos in posterum ab omni
igne noxio servet clementissimè, divini amoris
flammulam nostris immittat pectoribus, atq; sic
prosperissima salute, sine ullo malorum turbi-
ne, in æternum fruamur. Dabam Rigæ
d. XXVII. Maji An. CIO IDCXCIV.